



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Sectio II. De incendiarijs & violatoribus Ecclesiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

delegatæ etiam illius potestatis à Magi-
stra culaico, modò punitio non requi-
rat pœnam sanguinis, ex c. in Archiepif-
copatu 4. h. 1. patet, præsertim si dele-
gationis fiat à Principe laico in favo-
rem Ecclesiarum, ac salutem anima-
rum: si tamen mixti fori crimen sit, non
tantum ex vi factæ sibi delegationis, sed
ex ordinaria sua jurisdictione spiritali
iudicare, & punire illud potest Epif-
copus.

SECTIO II.

De incendiariis & viola-
toribus Ecclesiarum.

§. I.

De incendiariis & eorum pe-
nis.

Incendiarii propriè dicuntur illi, qui
datâ operâ apposito igne, scientes,
& prudentes civitatem, domum, aut
prædium alienum &c. incendunt, sive
urbanum hoc sit, sive rusticum, sive
ex odio & vindicta, sive ullo dolo ma-
lo hoc faciant, aut mandatum, vel au-
xilium &c. ad hoc faciendum præsent,
nisi belli iura tales excusent. Pœnz au-
tem, quas incurrunt hi incendiarii, de
iure civili sunt pœna capitis vel exilii, vel
levior etiam castigatio, iuxta levio-
rem fortassis culpam, aut negligentiam ad-
missam &c. De iure verò Canonico in-
cendiarii sacrorum locorum sunt ipso iu-
re excommunicati *Can. Canonica 107.*
caus. 11. q. 3. à solo Papa absolvendi post

eorum denuntiationem factam c. *Tuo-
nos 19. de sent. excommunicata.* aliorum
verò ædificiorum non sacrorum incen-
diarij, sicut & mandantes, & qui au-
xilium illis præbent, præter damni dati
restitutionem, sunt per sententiam Ju-
dicis excommunicandi *Can. si quis 31.*
caus. 23. q. 3. Et nonnunquam etiam
privantur sepulturâ Ecclesiasticâ, nisi
in morte pœnitentes & absoluti morian-
tur. c. *in litteris 5. h. 1.*

§. II.

De violatoribus Ecclesiarum, &
eorum penis.

Violatores Ecclesiarum, hîc dicun-
tur, qui Ecclesias, vel alia loca
religiosa & pia violenter effringunt, ac
spoliant. In quos pœna excommunica-
tionis latæ sententiæ statuta est. c. *Con-
questi 22. de sentent. excommuni.* Ne-
que sunt admittendi ad pœnitentiam, si
manifestè fuerint deprehensi, nisi prius
damna reficiant, vel de illis caveant,
aut sint in articulo mortis constituti, ita
tamen ut ad pœnitentiam tum quidem
admittantur, Clericis tamen prohibi-
tum sit, eorum interesse sepulturis, aut
elemosynam ab illis accipere, sub pœ-
na depositionis ab ordine, & privatio-
nis beneficiorum, prout etiam de rapto-
ribus statutum est, juxta *cit. c. supra*
eo, &c.

50

TITV.